# QUÆSTIO MEDICA.

*QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS mane discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-septimâ Januarii.*

## M. LUDOVICO DEMONDIERES DUGUE', Doctore Medico, Præside.

*An optimus Medicus debeat esse vates?*

I.

HOMINI nihil est similius, quàm homo: nihilque dissimilius. Amant Minervam alii: Martem alii. Opes sequuntur plerique: nonnulli fugiunt. Quidam obeundis magistratibus, & negotiis maximi momenti gerendis idonei: secùs plurimi. Est qui (brutarum instar animantium) edendo ac bibendo unicè studet, famæ ac nominis incurius: contrà verò non pauci laudis desiderio incensi, disciplinas, præclaras artes & scientias colunt; hos inter gloriæ cupidos parem vati reperias profectò neminem; is nihil minus ambit, quam futurorum cognitionem; difficultatibus, ænigmatis & obscuritatibus delectatur; memor infinitarum penè rerum quas incredibili celeritate ingenii percepit naturæ cursus ac recursus, discrimina, momenta, casus atque eventus, fata, fortunamque hominum tacitâ mente perpetuò volvit ac revolvit, nec dubitat oracula reddere consultus. Res bona, sed rara vates, non enim quotquot se dicunt vates, creduntve, ideò vates sunt. Apage chiromanticos, genethliacos, sagas, necromanticos, & alios hujus farinæ homines, qui polliceri, nec præstare; prædicere & mentiri solent.

I I.

UNDE' tanta eſſet quibuſdam hominibus divinandi facultas, non parum ſolliciti fuere philoſophi. Illam referebant alii ad furorem, alii ad familiares deos, quidam ad ſiderum influxûs, nonnulli ad reminiſcentiam; meliùs cum Galeno ipſam aſcribas temperamentorum vi atque præſtantiæ: ſcire licet ſanguineo-melancholicis contingere ſanguinem laudabiliorem, uberiores ſpirituum animalium proventûs, texturam partium denſiorem, validiora molimina, pulchriorem intimi corporis æconomiam; illis ſagacitas, memoria, ſubtilitas, ſolertia, affectus, & habitûs mentis nobiliores: ad ardua & grandiora nati ejuſmodi homines ingenioſis diù noctùque excruciantur malis, atque ità cogitando, meditandoque, (id eſt effectus obſcuros per evidentes cauſas, cauſas latentes per effectus manifeſtos inveſtigando) habitus ad benè divinandum neceſſarios acquirunt.

I I I.

AT verò Medicus, ærumnis & calamitatibus perpetuò afflictatus alienis multiplici bonorum genere compenſatur, corporis & animi ſanitate, robore, longævitate, opibus, & gloriâ cumulatur; atque ut medicina conjecturalis eſt, uſu non modò ſubtilitatem quæ conſiſtit ἐν τῷ διορισμῷ comparat; verùm etiam artificioſæ præſagitionis habitum aſſequitur. Illâ relationem cauſarum ad effectûs, effectuum ad cauſas, genera ac ſpecies temperamentorum, morborum, ſymptomatum, ſignorum; ſimilitudinem rerum ac diſſimilitudinem percipit: hâc μακροῦ & μικροῦ κόσμου eventûs casûſque valet prædicere; cum exitus morborum Medici famam illuſtret, aut imminuat, obſcuret vel augeat; omni ſtudio incumbit ut ſententiæ ac expectationi ſuæ reſpondeat; ſunt indicia quæ morbum brevem aut longum, ſuperabilem aut inſuperabilem, mitem aut malignum, portendunt: Indicia non deſunt alia quæ tempus, diem, & ſolutionis modum demonſtrent; Medicus horum non immemor digna Apolline pandit oracula.

I V.

FELIX Medicus qui ſic eſt à naturâ comparatus. Ars quam alii prædicant arduam ac incertam, ipſi eſt facillima certiſſimaque. Naturalem divinationem potiùs quàm artificio-

ſam præſagitionem in eo eſſe putes; ipſo arteriarum pulſu, vultu ipſo de ægri ſtatu judicat; nec minùs præterita, quàm præſentia, & futura intelligit: quod genus ſit morbi, quæ ſpecies, quos jam progreſſus fecerit, quò inclinat, quis eventus futurus ſit, actutùm percipit: morbum variis non explorat remediis, ſed recti propoſitique tenax, atque imperturbabilis in ſuà ſcientiâ affectum, vel ſequitur pedetentim & cunctando frangit, vel mochlico ſine procraſtinatione expugnat. Inter ſexcenta medicamentorum genera, illud unum ſeligit quod eſt optimum, idque tantâ celeritate, ut minùs arte quæſitum quam divinitùs indicatum videatur. Inter innumeras morborum cauſas, has inprimis habet ſuſpectas, nempè conſuetudinem intermiſſam, animi pathemata, ingluviem. Inter partes affectas diffidit potiſſimùm ventriculo, lieni, meſenterio, pancreati; his tamen ſcit aliquando fidere. Optima parens natura illi conceſſit quidquid ars poteſt conferre præſtantiùs, putà ſingularem mentis integritatem, quâ non eſt melior Phæbi Cortina: ipſi quoque inſevit rerum, naturalium, non naturalium & præter naturam incredibile deſiderium, phyſiognomiæ præſertim (quæ melior eſt phyſiologiæ pars) vehementiſſimum. Perſuaſus ex minimis momentis non numquam pendere maxima, negligit & ſpernit omninò nihil. Emicant etiam aliquandò inter publica vitæ commercia ejus naturalis præſagitionis ſcintillæ; unde apud omnes invenit admirationem.

V.

SUMMUS dictator nihil aliud intellexit per indolem & naturam optimi Medici, quàm divinatricem facultatem. Galenus optimum medicum Oedipi nomine ſalutabat: Plinius Herophilum medicinæ vatem appellabat: Cicero eodem nomine donabat medicos. Quot quot ab omnibus retrò ſeculis in medicinâ floruere præſtantiſſimi viri egregià ominandi virtute præditi erant: & verò ars præſtantiſſima ſibi parem deſiderat artificem qui ipſius conſtantiam, finiſque excellentiam adversùs multorum invidiam probet; ſub inexpunabili morbo ſæpè naturâ opprimitur, neque medicinæ inſtrumentis quicquam loci relinquitur, quid tum (amabo) medicus abſque præſagitione? in Chronicis autem affectibus quam diætam præſcribes niſi futura proſpexeris. Rectè igitur medicina definietur ars

divinatrix ad tuendam ſanitatem, & morbos expellendos, comparata. Vitæ amans eo inprimis delectetur medico quem noverit vaticinatorem; qui excellit in vaticinatione excellit & in omnibus medicinæ partibus quarum ſumma eſt prognoſis. Ille ægritudines vel futuras antevertet, vel præſentes longiſſime propulſabit; atque ubi ad ultima ventum erit, neque ſpes vitæ in ægro manebit ulla, æternam dicet illi ſalutem. Sic Medicus certus in re incertâ cognitus, ſanctiſſimum atque auguſtiſſimum vatis, ſeu ἰσοθέου nomen conſequetur.

*Ergo optimus Medicus debet eſſe vates.*

Domini Doctores diſputaturi.

| | | |
|---|---|---|
| *M. Gilbertus Puylon, Scholarum Profeſſor.* | *M. Philippus Caron.* | *M. Nicolaus Rainſſant.* |
| *M. Andreas Creſſé.* | *M. Ambroſius Nicolaus Chemineau, Scholarum Profeſſor.* | *M. Petrus Pourret, Regis unici fratris Medicus ordinarius.* |
| *M. Armandus Joſephus Collot.* | *M. Joannes Gelly.* | *M. Dionyſius Dodart, ſereniſſimæ DD. principis Dotariæ de Conty Medicus, Regiæ ſcientiarum Academiæ ſocius.* |

Proponebat Pariſiis CLAUDIUS VERGNE, Montargianus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1701.

---

Apud Franciſcum Muguet, Regis Facultatis Medicinæ Typographum.